

006

Gr. b B. 10

Philipp
B. 9

h DE
FRIDERICO. VVILHELMO
BORUSSIAE, REGE, S. R. I. ARCHICAMERARIO, ET. ELECT. BRANDENBURG. CET
DOCTORE. IVRIS
EX. NVMO



DISSERIT

ET
INCLITAE. ACADEMIAE
K I L O N I E N S I
IVBILAEVM. PRIMVM
III. NON. OCTOB. C^l CCC LXV
SOLLEMNI. RITV. CELEBRANTI

EX. ANIMO. GRATVLATVR

PERPETVAMQVE. FELICITATEM

MAXIME. PRECATVR

D. IOANN. CAROL. CONR. OELRICHS

CÖMES. PALAT. CAESAR. IVRIS. NAT. CIVIL. ET. HIST. IVR. LITT. PROF. ORD. IN. REGIO. ATQVE
ACAD. GYMNASIO. PALAEO-STETIN. REGIS. BONAR. ART. SOCIETATIB. REGIOM. GRYTHSVVALD
ET. GOTTINGAE. NEC. NON. DVCALI. HELMSTAD. ITEMQVE. BREMENS. TEVTONICIS
ET. LATINAЕ. IENENSI. ADSCRIPTVS

Nulla dies umquam memori TETE eximet aeuo.

VIRGIL.

PALAEO - STETINI

APVD. GEORG. MATTH. DREVENSTEDT. C^l CCC LXV

C. G.

CLAVDIANVS

in PROB. et OLYBR. consul. *in fine*

— — — *Vos cuncta loquetur*

Tellus, vos variis scribebat in floribus horae,

Longaque perpetui ducent in saecula fasti.

CELEBRATISSIMAE
ACADEMIAE. KILONIENSIS
PRORECTOR. MAGNIFICE

ILLVSTRIS. PROCANCELLARIE

CETERIQVE. OMNIVM. ORDINVM. PROFESSORES

SVMME. REVERENDI. IURIS. CONSULTISSIMI. EXPERIENTISSIMI

EXCELLENTISSIMI. AMPLISSIMI.

FAVTORES. SVMMO. STUDIO. COLENDI



Circumspicienti mihi nuper argumentum,
quod VESTRAM, VIRI CELEBERRIMI, festiui-
tatem iubilaeam ex animo gratulaturus,
disputarem, quodque ad hanc non nihil
etiam esset adcommodatum: illico obueniebant summi
honores academici, a prima inde academiarum aetate,
recepti,

III. DE FRIDERICO. VVILHELMO. BORVSS. REGE

recepti, qui, in eiusmodi saecularibus, conferri quoque dignis iis iudicatis publice solent. Non excurram nunc in laudes huius moris in se paeclarai, satisque omnibus bonis probati: sed id tantum agam, vt ostendam, hoc fane, si quidquam aliud, paestantiae et dignitatis scientiarum esse testimonium, quod summi etiam principes supremos accipere honores academicos non sint de-dignati. Praetereo pontifices Romanos,¹⁾ duces, co-mites, barones, nobiles, eo, quod ex vera doctrina venit, paeconio, condecoratos: quorum omnium censum alii dudum instituerunt. Id potius, quod maius est, et a nemine vsque adhuc, data opera, tractatum, hac vice, exponendi est animus: nimurum ipsos reges, quid? quod imperatorem etiam unum, doctoris, et in primis in iure dignitatem haud esse adspexerat. Dissimulare quidem nolo, GEORGIVM I. magnae Britan-niae regem, non in iure, sed in theologia, summum hono-

1) Ipsos Romanos pontifices vniuersum, in alios principes omnes, dominatum, atque supereminente quādam potestatem affectantes, tanto scilicet fastigio suo, indignam iudicare graduum academicorum adsumptionem, ex eo constare arbitratur GERH. FELTMANNVS in *Diss. de promot. absentis, cap. V. in fin.* quod cre-

dant, si antea doctores non fuerint renonciati, eo ipso, quum Papae euadant, tales fieri: vt post IASO-NEM tradit FRID. DE PETRIS *Ictus Neapolitanus, lib. I. festio, lect. cap. VII. n. 12.* Forte sibi persuasum habent, triplicem illam tiaram omnis statim eruditio[n]is fontem esse. Pontifices tamen, iuriis doctores quam plurimos, in

ET. ELECT. BRANDENB. CET. DOCTORE. IVRIS. V
honoris academici gradum Cantabrigiae, et in odium
quidem academiæ Oxoniensis, male tunc contra regem
animatae, anno cIcIccxvII atque sic regno iam poti-
tum, adsumisse.²⁾)

PLERVMQVE tamen huius fastigii principibus, do-
ctoris potius iuris honores, et, in Angliae quidem aca-
demis, vtpote veteris illius singularis moris, eos regi-
bus, academiam præsentia sua honorantibus, offeren-
di, vsque adhuc seruantioribus,³⁾ accipere placuit: et
id quidem, si coniicere licet, his ex rationibus, quod
in Anglia doctor iuris, atque iuris consultorum ordo
magnopere aliis honoribus emineant, adeo, vt eiusdem
ibi, ac summi nobiles et *Esquires* (armigeri) dignita-
tatis habeantur: siquidem I^TCt^I olim *domini* titulo, ma-
gnifica hac, ab antiquo aeuo, imperium, potestatem,
et auctoritatem denotante voce, qua ipsi imperatores

(3)

Romani,

in scenam produxit GVID. PANZIRO-
LVS *de claris legum interpretib. lib. IV.*
cap. VIII.

2) *Conf. Nova litt. Lipsiensia*, a.
cIcIccxvII publicata, num.XC. p.722.

3) Immoruit tamen mihi ex fide
digna relatione, idem etiam *Bono-*
niae moris esse: saltim FRIDERICVM
CHRISTIANVM LEOPOLDVUM, *Saxoniae*

electorem, praematura morte eheu!
viuis nuper eruptum, quum Italicas
peragraret terras, electoratus, quem
modo dixi, tunc heres, ab aca-
demia Bononiensi, diploma doctoris
iuris accepisse, ex litteris v. C. CA-
ROLI FERD. HOMMELII, *in signis, Lipsiensis*
academiae, decoris atque ornamenti,
edoctus sum.

VI. DE FRIDERICO. VVILHELMO. BORVSS. REGE

Romani, AVGSTVS et TIBERIVS, ex rationibus politicis, insigniri nolebant, in Anglia fuerunt ornati.⁴⁾ A vetustissimis quoque temporibus, in Italia, ICTOS, dominos
narrat⁵⁾ salutatos fuisse, innuit cardinalis HENRICVS HOSTIENSIS.⁶⁾ Sic etiam apud Batauos, eos, qui summos in iure honores adepti, venire titulo: *Heer en Meester narrat⁵⁾*, nec doctores adpellari alios, quam artem medicam exercentes, testis est GERH. FELTMANNVS.⁷⁾ Accedit huius moris alia, quae vel primo loco poni debuisset ratio, quod si qua scientiarum principi scitu maxime utilis et necessaria, eiusque dignitati adprime est conueniens: certe est *iurisprudentia*. Inde eam regiam artem merito adpellavit PLATO, quum ambitu suo et diuina iura, interque haec maxime ius naturae et gentium, omnium quippe principis actionum normam, et humana, atque in his, iustum illud, omnis societatis animam, ac salutem populi, supremam reipublicae legem, contineat. Hinc IVSTINIANVS imp.

paucis

4) Conf. librum inscriptum: D. T. V. Y. *Les Eſtats, Empires, principautez du monde*. Paris, 1622. p. 17. n. 27. ibi: *Tous ceux, qui eſtudient aux loix & qui font profession des arts liberaux & ne vivent pas de leur travail, ont le nom de Monsieur, qui doit eſtre donné ſeulement aux Gentilhommes &*

Eſcaviers en Angleterre & font eſtinez nobles.

5) Ad cap. I. X de testam. ibi: *As, id eſt, duodecim unciae. As etiam quandoque ponitur pro obolo: propter quod verbum oenit Bononiam ſtudium ciuilē: ſicut audiui a domino LAZONE, ICTO, meo.*

paucis multa complectens, sapienter ait:⁷⁾ Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut vtrumque tempus, et bellorum, et pacis, recte possit gubernari, et princeps Romanus non solum, in hostilibus praeliis, victor existat: sed etiam, per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellat, et fiat tam iuris religiosissimus, quam viatis hostibus triumphator magnificus. Eiusmodi quidem, vtraque ex parte, perfectum exemplum, quod praefens videt aetas in FRIDERICO II. M. rege Borussiae, numquam vidit praeterita, nec forte visura est futura. Quid ergo mirum, doctores iuris renuntiari maluisse summos principes, quam aliis scientiae, seu, ut vulgo dicitur, facultatis!⁸⁾ Ita PETRVS I. seu MAGNVS, totius Russiae imperator, postquam in ciuium academicorum numerum Oxonii anno c¹⁶CXCVIII esset relatus, doctor ibidem creatus dicitur⁹⁾ et, si res vera, sine dubio in iure. Forsan reges inter, academicis fulgentes honoribus,

et

6) In tract. de titulis honor. p. 566.
edit. post.

7) In prooem. institut. pr.

8) Conf. etiam CHRIST. GVIL.
LOESCHERI epist. de praerogatiis docto-
rum iuris, p^raे aliarum facultatum supre-
mis gradibus. Vinar. 1720. 4.

9) AVCTOR ANONYMVS Moscouiae
gloriosae des unter Petro I oder dem
Großen höchst glückseligst blühenden Mo-
scou, p. 173. Initiari tamen nolo,
me in aliis huius imperatoris vitae
scriptoribus hoc non legisse. Stet
ergo penes illum interea huius rei
veritas.

VIII. DE FRIDERICO. VVILHELMO. BORVSS. REGE
et in primis doctores iuris, suo quodam iure, referendus etiam quibusdam videbitur OLIVIER CROMVELL,
regis quidem paeconium adsumere recusans, *protectoris Angliae* titulo contentus, eadem tamen, quae vlli
vmquam Anglorum regis fuit, potestate, gauifus: quoniam non modo, studiorum cursu, in academia Cantabrigiensi, absoluto, magistri philosophiae honores obtinuit;¹⁰⁾ sed deinde quoque, ab Oxoniensi academia, oblatam ipsi, anno 1548 doctoris iuris dignitatem non est dignatus.¹¹⁾ Sic etiam VVILHELMVS III
princeps Arauſionenſis, poſtea rex *Angliae*, uno eodem
que die, cum HENRICO, VVILHELMIQUE, principibus
Nassouicis, et aliis, e comitum nobiliumque numero,
septemdecim, die xx Dec. anni 1567 Oxonii publice
doctor iuris renunciari voluit:¹²⁾ quo quidem rariſſimo ſpectaculo, vix vllum aliud, aut pulchrius, aut
illustrius, academiarum orbes vmquam colluſtrauit, niſi
hoc fuerit, quo ibidem anno 1556 FRIDERICVS
VVILHEL-

10) AVCTOR ANONYMVS vitae HENR. DE COCCEII. *Quedlinb.* 1721. 4. p. 6. not. a. Idem ex alio AVCTORE ANONYMO vita OLIV. CROMVELLI p. 17. commemorat v. C. IO. PET. DE LVDEVIG in der *Erläuterung über SAM V. PVFENDORF Einleitung zur Historie*, cap. IV. p. 773. Tradunt etiam nonnulli, IACOBVM L.

magnae Britanniae regem doctissimum, magistri philosophiae honores non minus accepiffe: quod tamen, silentibus prorsus hac de re, ipsius vitae scriptoribus, certo adfirmare non audeo.

11) ANTON. A VWOOD in *fatis* Oxon.

VVILHELMVS, serenissimus Borussici regni et electoratus Brandenburgici tunc heres, postea *Borussiae rex II* publice *docto*r iuris** est creatus. Iuuabit insolitissimae huius in domo Brandenburgica rei, a nullo regis illius vitae scriptorum, vel verbo, commemoratae, occasionem, sollemniaque, quibus haec creatio peracta, paucis exponere. Eadem scilicet felicitas, qua iam fruitur academia VESTRA celeberrima, anno c^lccxcvi academie contigerat Viadrinae. Vocatis igitur, vt moris est, in partes gaudii sui, cum Germaniae, tum exteris disciplinarum seminariis, academiis ac gymnasiis, in primis illustribus, et, eas inter, etiam Angliae vniuersitatibus litterariis, Cantabrigiensis, quod memorandum sane posteris! deputatos Francofurtum miserat: Oxoniensis vero, quae huius est foror, id quidem non fecerat: ne tamen officio suo deesse, aut forori cedere videtur, iubilaeum Francofurtanum, et singulari quadam pompa, et sollemnitate academicia maxima, celebravit.

)()

Oxon. adiectis EIVSDEM Athenis Oxoniensibus, vol. II. col. 88. ad quos prouocat Biographia Britannica in CROMWELLI vita, et, ex ea, V. C. SIGISM. IAC. BAVMGARTEN in versione huius operis Germanica publicari coepit, hac cum inscriptione: *Sammlung merkwürdiger Lebensbeschreibung aus der*

*Britannisch. Biographie, tom. I. p. 72.
seqq.*

12) ANT. A VWOOD in *hist. vnu*.
Oxonienfis, et, ex ea, CHRIST. VVILH. LOESCHERVS in *epift. ad CAROL. HENR. HEYDENREICH*, qua, *de periculo simul et incommodis docto*ratus iuridici*, disquiritur. Vinar. 1714. 4. ad fin.*

X. DE FRIDERICO. VVILHELMO. BORVSS. REGE

uit.¹³⁾ Doctorum nimirum iuris promotio, vt academico
more dicitur, extra ordinem initituta:¹⁴⁾ quo praeconio
publice fuerant ornati FRIDERICVS VVILHELMVS, quem
dixi, postea rex Borussiae, dux DE BEDFORD, comes
A PLEYMOVTH, barones, DE SPANHEIM regis Borussiae
FRIDERICI I tunc primi ordinis, seu extraordinarius
Londini legatus,¹⁵⁾ GRANEN et GRANVILLE, dominus
BONET, eques baronetus,¹⁶⁾ regis modo dicti legatus
tunc ordinarius, quem vulgari sermone residentem ad-
pella-

13) Descriptionem horum sol-
lemnium exhibent Academiae Franco-
furtanae Encaenia secularia, Oxonii in
theatro Sheldoniano, Apr. 26. anno fun-
dat. 201 annoque dom. 1706 celebrata.
Oxonii 1706 sol. inserta etiam Seculari-
bus sacris academie regiae Viadriniae,
parti III.

14) Mirum tamen, extraordinariae
huius promotionis, ne verbo
quidem, mentionem factam esse in
Encaenii Oxoniensibus, modo excitatis!

15) Nuntium, vt sperare licet,
exoptatum eruditio orbi adfero,
hic significans, in amplissimo com-
mercio epistolico v. c. IO. CAROLI

SCHOTTI, S. R. M. Boruss. olim a con-
sil. ac reg. biblioth. reique numar. et anti-
quar. praefetti, societat. scient. reg. Be-
rol. classis philol. et hist. directoris, cuius
egregiam bibliothecam et MSCta,
ex legato filii ipsius, FRID. CASIM.
SCHOTT, S. R. M. Boruss. quondam a
conflictis aulic. et rebus aedil. accepi,
litteras etiam perill. SPANHEMI, item-
que, cuius hic paullo post mentio
fit, BONETI, ad IO. CAROL. SCHOTTVM
datas, exstare: quas partim inte-
gras, partim, omissis iis, quae ad
litterarum studia non spectant, con-
tractas, cum excerptis ex aliorum
celeberrimorum virorum ad ipsvm
litteris, praemissa ipsius vita, scri-
ptorum

ET. ELECT. BRANDENB. CET. DOCTORE. IVRIS. XI
pellamus, et quatuor nobiles seniores parlamenti adses-
sores. In horum omnium memoriam numisima singu-
lare, quod in fronte huius scriptiunculae conspicitur,¹⁷⁾
a celeberrimo CHRISTIANO VVERMVTH, serenissimae do-
mui Saxo-Gothanae quondam a cedulais numis, est
cusum: cuius aduersam ornat, regii paullo ante no-
minati principis armati, ordinisque Borussici fasciam
gerentis, imago, hac cum inscriptione: FRIDERICUS
VVILHelmus I. Dei Gratia REGNI BORVSSIAE HAE-

))) 2

Res.

ptorumque recensione, benignis fa-
tis, cum republica communicabo
litteraria: quam epistolarum syllo-
gen alia deinde excipiet aliorum,
non minus eruditione illustrium
virorum.

16) Titulus hic *baronibus cognatus*,
soli tamen Angliae est cognitus,
et maior quidem communibus
nobilibus, sed baronibus inferior,
adeoque inter barones et nobiles
medius: ceterum hereditarius. Vi-
de sis 10. CHRISTOPH. BECMANNI *Syn-
tagma dignitat. illustr. diff. XIII. cap. II.*
§. VII. p. 116.

17) Publicatus quidem iam est
hic numus in *Thefauro numisimat. mo-*

dernor. huius seculi, a IOACH. NEGELEIN
et MELCH. KOERNLEIN. Norimb. 1700-
1717 fol. publici iuris facto,¹ p. 572. et
in CHRIST. HENR. GÜTTHERI *Leben und
Thaten FRIEDERICH I. Königs in Preussen,*
aus Müuzzen, p. 289. itemque in 10.
CHRIST. KVNDMANNI *academiis et scholis
Germaniae, praecipue ducatus Sileiae
cum bibliothecis, ex numis, (libro idio-
mate Germanico conscripto) tab. XV.*
num. LVI. Verum, quum priora
duo opera cara sint, in posteriori
vero numus, summa incuria, aeri
incisus deprehendatur, operae pre-
mium fore duxi, eum, ab artifi-
cis Berolinensis manu, accuratissi-
me sculptum, hic adiicere.

XII. DE FRIDERICO. VVILHELMO. BORVSS. REGE

Res. In extremo brachii conspicitur nomen laudati artificis, repetitum quoque in auersa, cui inscriptum legitur: IN DOCTOREM IVRIS PROMOTVS OXONII CVM DVCE DE BEDFORD COMITE A PLEYMOUTH. BARON. DE SPANHEIM. GRANEN-ET GRANVILLE. DOMINO BONET. EQUITE BARONETO ET QVATVOR. NOBILIBVS SENIORIBVS PARLAMENTI ASSESSORIBVS CVM ENCAENIA SECVLARIA CELEBRARET ACADEMIA FRANCIVRT. APRIL. XXVI. dat dicat dedicat christianus wermuth. Ceterum litteras maiores in linea xvii et xviii numismatis, annum indigitare academie iubilaeum MDCCVI, facile est intellectu. His denique addere haud erit iniucundum ipsum doctoris diploma, FRIDERICO VVILHELMO, ab academia Oxoniensi, transmissum, sic conceptum:

Cancellarius, Magistri et Scholares Uniuersitatis
Oxon. Omnibus, ad quos hoc praesens Scriptum
peruenerit, Salutem in Domino sempiternam. Sciatis,
quod nos per praesentes testatum facimus, Serenissimum
et Celsissimum Principem FRIDERICUM WILHEL-
MUM, Regni Borussiae et Electoratus Brandenburgensis
Haeredem, Rectorem Academiae Viadrinae Magnificen-
tissimum,

ET. ELECT. BRANDENB. CET. DOCTORE. IVRIS. XIII
tissimum, *Virtute omni Regia ornatissimum, Literarum*
fautorem Augustissimum (Comitiis pro Genethliaco Fran-
cofurtensis illius eodem tempore solenniter celebratis, Cui
fausta et auspicata omnia) in solenni conuocatione Do-
citorum, Magistrorum Regentium et non Regentium, in
Theatro Scheldoniano habita Vicefimo sexto die Mensis
Aprilis Anno Dni MDCCVI^{to} et Uniuerstatis Viadri-
nae Fundationis CCI^{mo} conspirantibus Omnium tam Vo-
tis, quam Suffragiis, et Acclamante Academia DOCTO-
REM IN IURE CIUILI renunciatum esse: purpuramque eo
pacto Oxoniensem eodem honore, quo fasces Viadrini, de-
coratam. In cuius rei testimonium Sigillum Uniuer-
tatis Oxon. commune praesentibus apponi fecimus. Da-
tum in Domo nostrarae Congregationis nono die Mensis
Maii Anno Domini praedicto.

DIPLOMATI huic, in membrana, scripto, adpendet
sigillum cum epigraphe: SIGILLVM CANCELLARIATVS
)() 3 VNIVER-

XIII. DE FRIDERICO VVILHELMO. BORVSS. REGE
VNIVERSITATIS OXONIENSIS, impressum cerae rubrae in
capsula argentea deaurata, ouata, cuius operculum in-
scriptionem habet: DOMINVS ILLVMINATIO MEA.

IAM vero, si dicendum, quod res est, vix vlli alii
regi magis hos conuenire summos academicos hono-
res, quam huic, exemplo certe magni et incompara-
bilis legislatoris egregio, dignoque, quod ad posteros
transmittatur, quemlibet, qui iustus est rei arbiter, fa-
cile mihi daturum, spem ingredior certissimam.¹⁸⁾
Quid? quod regem quoque hunc, Augustanae confes-
sioni addictorum maximum praefidium, oppressorum
que Deum quasi tutelarem, et in primis salutis ecclesia-
rum in terris suis, florisque et incrementi scholarum et
academiarum suarum, tota mente sumtibusque maxi-
mis,

18) Vide sis v. C. CHRIST. GO-
DOF. HOFFMANNI *prog. exemplum magni*
et incomparabilis legislatoris in FRIDE-
RICO VVILHELMO, rege Boruss. exhib.
Francof. 1733. 4.

19) Conferri hic maxime mere-
tur v. C. FRID. MVZELII, *Gymnasi regii*
Ioachimici professoris, dum viueret, con-
rectoris, alumnorum ephori, et bibliothe-
carii, elegans oratio, inscripta: Am-
phiteatrum regiarum virtutum Potsdam-
icum, sive triplex mirabilis cura FRI-

DERICI VVILHELMI, *regis Borussiae, —*
pro cine, ecclesia et milite, editaque
Berolini 1728. fol. plagul. VIII. Au-
ctor, alia inter magnifica magni
regis opera, in regia sede *Potsdam-*
mii, maxime celebrat Giganteam,
vt vocat, legionem, ex omni ter-
rarum orbe, sumtibus immensis,
conscriptam, qua rex mirifice dele-
ctabatur: summisque inde laudibus
extollit staturam hominum proce-
ram; de parua contra admodum
contem-

mis, studiosissimum, et, ut paucis magni regis absol-
uum virtutes, qui omnium virtutum mirabilis velut
fuit complexus, pium, vanitatum contra, quas luxus
parit, osorem, grauemque vindicem, fortem etiam,
felicem, litterarum litteratorumque verum et insignem
aestimatorem, ac ciuium inde suorum omnium amo-
rem et delicias, vereque AVGVSTVM hic sistere, atque
sic iis, qui regem hunc militem et oeconomum dum-
taxat praedicant, ruborem incutere possem, si meum
id pateretur institutum.⁹⁾ Neque plura iam addendi
regum, doctorum iuris, exempla, tempus et occasio mihi vacat: quae forte, ex Angliae regibus, suppeterent,
dummodo huius regni annalium voluendorum et re-
uoluendorum copia nunc esset. Nonnulla forsitan, hic
praetermissa iam dedit v. c. MARTINVS HASSEN, *professor*
quon-

contemtim loquitur. *Tanto enim,*
dicit, *perfectiorem hominem esse, pro-*
piusque ad primam perfectissimamque
figuram accedere, quanto quisque maior
est et procerior. Mirandum vero
omnino, vsque eo oblitum esse vi-
rum celeberrimum paruae regis,
quem modo dixi, cui quoque hunc
dicauerat sermonem, statura, sui-
que ipsius simul, quod praeconem
egerit statura procerae, qua ipse
maxime gaudebat! Id consilii ideo,

vt aliquando me audire memini, da-
tum mox auctori, a superioribus
suis, vt totam orationis excitatae
editionem supprimeret: vnde tanta
eius, in natali etiam ipsius solo, ra-
ritas, vt sint, qui credant, viginti
vix in omni republica litteraria ex-
stare eius exemplaria: ex quibus
vnum, ex celeberrimi auctoris,
praeceptoris quondam mei, ad
cineres vsque colendi, donatione,
mea possidet bibliotheca.

XVI. DE FRIDERICO. VVILHELMO. DOCTORE. IVRIS
quondam moral. et politices Vitebergenfis:²⁰) cuius autem
scripto potiundi studium meum vsque adhuc fuit inane.

HOC interim Catone contenti, ex animi sententia valete VIRI EXCELLENTISSIMI! resque VESTRAS in summi Numinis honorem, ecclesiae salutem, reipublicae etiam ciuilis ac litterariae incrementum, et familiarium VESTRARVM decus atque ornementum, semper agite quam felicissime, quamque diutissime. Celebratissimae vero academiae VESTRAE concedat DEVS O. M. atque largiatur omnis felicitatis, per tot, quot habebit hic terrarum orbis, saecula, duratura, cumulum: atque sic bonorum omnium impleat optata.

ITERVM valete, VIRI CELEBERRIMI, ac sollempnia vota VESTRA bene beateque persoluite, et, quod meorum votorum summa, commendatum fauori VESTRO habete

CELEBERRIMORVM NOMINVM VESTRORVM

Dab. Palaeo-Stetini
Ipsius Kal. Sept. clz lccc LXV.

cultorem studioissimum
D. IOANN. CAROL. CONR. OELRICHS

20) In progr. de principibus doctis, eisque nec academicos dignatis titulos. Vitel. 1727. Per multorum quidem annorum spatium, opellam hanc quaesui; sed eam neque, in omnium bibliothecarum priuatarum amplissima, et, ratione immensi scriptorum etiam minutiorum numeri, nulli secunda, antehac BVNAVIANA, iam splendidissimae electoralii Dresdensi inserta, offendi: neque Vitebergae, ipsa scripti huius quasi patria, aut Lipsiae, vlo plane modo, expiscari vsque adhuc potui. Ceteros autem huius argumenti scriptores, quos ad vnum fere omnes meus habet adparatus litterarius, frustra, hanc in rem, consului.

PALAEO-STETINI. LITTERIS. LEICHIANIS

AB:153.727



R



h
DE

FRIDERICO. VVILHELMO
BORYSSIAE, REGE, S. R. I. ARCHICAMERARIO. ET. ELECT. BRANDENBURG. CET
DOCTORE. IVRIS
EX. NVMO



DISSERIT

ET
INCLITAE. ACADEMIAE
K I L O N I E N S I
IVBILAEV M. PRIMVM
III. NON. OCTOB. CL XXX LXV
SOLLEMNI. RITV. CELEBRANTI

EX. ANIMO. GRATVLATVR
PERPETVAMQVE. FELICITATEM
MAXIME. PRECATVR

D. IOANN. CAROL. CONR. OELRICHS

CÖMES. PALAT. CAESAR. IVRIS. NAT. CIVIL. ET. HIST. IVR. LITT. PROF. ORD. IN. REGIO. ATQVE
ACAD. GYMNASIO. PALAEO-STETIN. REGIUS. BONAR. ART. SOCIETATIE. REGIOM. GRYTHISVALD
ET. GOTTINGAE. NEC. NON. DVCALI. HELMSTAD. ITEMQVE. BREMENSI. TEVTONICIS
ET. LATINAЕ. IENENSI. ADSCRIPTVS

Nulla dies umquam memori TETE eximet aeuo.

VIRGIL.

PALAEO - STETINI
APVD. GEORG. MATTH. DREVENSTEDT. CL XXX LXV

C. S.